



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvator Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

22. de iis quæ consequuntur eam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

surrexisset. i. Christum animam denuo corpori coniunxisse, & illius duobus denuo cōiunctis in resurrectione verè sec. hominem vixisse, sicut ante mortem.

DE CONSEQUENTI-
bus mortem Christi.]

DISTINCT. Vigesima secundæ
CAP. Primum.

Christus in triduo mortis fuit homo.

Dicimus ergo in morte Christi Deum verè fuisse hominem, & tamè mortuū: & hominem quidem nec mortale, nec immortalē: quia vnitus erat animæ & carni. Alia enim ratione dicitur De⁹ homo, & homo Deus, qua Martinus vel Ioānes. Homo enim dicitur Deus, & è cōuerso, propter susceptionē hominis. i. animæ & carnis. Vnde ^{lib. de Tri. c.} Aug. Talis erat susceptio illa, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. ^{13.} Cùm ergo illa susceptio per mortē nō defecerit: sed Deus homini, & homo Deo, sicut antè vnitus erat verè, & tunc Deus erat homo, & è conuerso, quia vnitus animæ & carni: & homo mortuus erat, quia anima à carne diuisa erat. Propter separationem animæ à carne mortuus, sed propter vtriusq; semper secum vnionem homo, &c.

CAP. Secundū. Christus in triduo erat in sepulchro & in inferno homo.

In Io.
tract.
78.

Quia Christus utique verus homo non fuisset, si carnē & animam nō assumpsisset: Sed tamen quia ex quo assumpsisset, neutrū deposuit: sed cū utroque etiam separato, eandem vnionem indefinenter sumit, quam assumendo contraxit. Ideo non incongruē vbiunque animæ vel carni, vel utriusque vuitus est, ibi homo esse dicitur. Vnde August. Quis non est derelictus in inferno? Christus. Sed in anima sola quis iacuit in sepulchro? Christus, sed in carne sola: quia in his singulis Christus est, Christum in his omnibus confitemur, & singulis.

CAP. Tertium. Eodem tempore totus erat Christus in inferno, & totus in sepulchro, & vbiq; totus, sed non totum.

cōt. feli
cianū.

Augustin. Non dimisit patrem Christus, cum venit in Virginem: vbiq; totus, vbiq; perfectus. Vno ergo eodemque tempore totus erat in inferno, totus in caelo, Nec tamen in sepulchro nec in inferno totū erat, etsi totus. Sicut Christus totus est deus, totus homo, sed non totum: quia nō solum est Deus vel homo, sed & Deus & homo. Totum enim ad naturā refertur, totus autē ad

lib. 1. dist. 37. cap.
3. f. 73. a.

1
to lū.
to hū.

BB ij

hypostasim : sicut aliud & aliquid ad naturam, alius verò & aliquis ad personam referuntur. Vnde Iohan. Damas. Totus Christus est Deus perfectus, non autem totum Deus est. Non enim solum Deus est, sed & homo & totus homo perfectus: non autem totum homo: Non solum enim homo, sed & Deus. Totum enim naturæ est representatiuum, Totus autem hypostaseos. Sic & huiusmodi.

Totus & totum differunt.

CAP. Quartum. Hæc proprie est concedenda, Filius hominis descendit de celo: sicut ista, Filius Dei crucifixus fuit.

SI enim ad unitatem personæ referatur propositionum dictarum intelligentia, sanè dici potest. Si autem ad distinctionem naturarum, nullatenus concedi debent. Vnde Augu. Vna persona est, Christus Deus & homo. ideo dicitur, Nemo ascendit in celum, nisi qui de celo descendit, &c. Si ergo attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei descendit, & Filius hominis crucifixus est. Si verò unitatem personæ, & Filius hominis descendit, & Filius Dei crucifixus est, &c. Hæc de corrigia calceamenti dominici dicta sufficiat, ne ossa regis Idumææ cõsummentur vsque ad cinerem.

Lib. de Trinit. Ioh. 3.